

3115

C O D I C E S

3116

politano? Solebant *Miniatores Itali* in fronte *Codicum* etiam impressorum informare Coronidem aliquam, vel Scutum, eaque vacua relinquere, quo deinceps ad emtorum lubitum Insignia, aut Emblemata reciperentur, quod multis exemplis doceri possit. Scuti nostri pars sinistra colores Gentis illustris *Cibo* praefert, in quam cooptatus fuit *Hier. Calagranus* noster ab *Innocentio VIII.* ejus Gentis, cui a secretiori Cubiculo fuit. Cum vero majores *Innocentii* multum *Neapoli* versarentur, fieri potuit, ut *Codex* hic ab iis ad *Innocentium*, ab hoc vero ad *Hieronymum* perveniret. Fuit ille patria *Fossanensis*, Sedemque *Montis Regalis* ab a. 1490. ad an. 1497. laudabiliter tenuit. Vide *Ughellii Italiae sacr.* T. IV.

DCCCLXXVIII.

735 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 249. 4. elegantissime descriptus, marginibus et Literis initiorum auro fulgentissimis et admirabili colorum varietate oculos delectantibus, praeter complures minores Sanctorum imagines majoribus 29. ornatus, quae partim Servatoris Mysteria, partim *Jobi* Historiam exhibent, *Precatorius* est, sive *Horarium* hoc ordine procedens: *Calendarium*. *Horae de Passione Domini*. *De Spiritu S. Initia IV.* *Evangeliorum*. *Orationes ad Deiparam*. *Ejus Horae*. *Psalmi de Poenitentia cum Litanis*. *Officium Defunctorum*. *Responsoria de variis Sanctis*. *Calen-*

darium lingua gallica exaratum, *Precesque* variae hac lingua inscriptae pulcherrimo huic artis graphicae et pictoriae *Exemplo patriam Franciam aut Belgium* adsignant.

DCCCLXXIX.

Codex membraneus lat. Sec. 706 XV. Folior. nunc 204. 4. Liber *Precum* sive *Horarium* (*Heures*) est, in *Gallia*, ut *Inscriptiones* plures lingua illius Gentis conceptae innuunt, nitide exaratum, auro coloribusque, et XII. *Picturis* *Vitae Christi* mysteria repraesentantibus speciosum. Praeit, ut solet, *Calendarium*, cujus tamen primi IV. *Menses* exciderunt. *Ordinatio sancti paterni* ad diem 21. *Maji* auro scripta argumento est, primum olim *Possessorem* in *Vennetensi Britanniae* *Minoris Dioecesi* vixisse, cui a. 540. *Paternus II.* datus est *Episcopus*, ordinatus antea *Jerosolymis* a *Patriarcha Jobanne III.* ut habes apud *Bolland.* et *Baillet* ad diem 15. *Apr.* quorum posterior, qui *Festum Translationis S. Paterni* diei 21. *Maji* adsignat, fortassis e *Calendario* nostro emendandus est. Obiter observo in *Serie Episcoporum Vennetensium* apud *Richard. T. V. Diction. des Scienc. Ecclesiast.* p. 482. unicum *Paternum*, eumque ad an. 465. occurrere. Testatur praeterea *Calendarium* nostrum *Translationem S. Benedicti* ad diem 11. *Julii*. *Ipsius Horarii* *Partes* potiores sunt: *Officium B. V. M.* *Officium de Passione Christi*.